

XX. *Vt conscientijs firma ac certa stare possit consolatio. Rom. 4, 16. 3. Vt discrimen Legis & Evangelij sic conspicuum. 4. Vt ardens, pura & sincera possit esse invocatio: quam bonorum operum factus vel prorsus extinguit; vel in hypocrisim convertit.*

24. *His ita Apologias vice, contra adversariorum criminationes expeditis, facilior est doctrina nostrae de questione ista prima expositio.*

25. *Et articulus quidem sextus categoricè respondet, facienda esse bona opera: Fidem debere bonos fructus parere.*

26. *Quibus verbis fides comparatur arbori: Bona verò opera fructibus. Vbi igitur fides in homine, ibi tam fieri nequit, ut bonis operibus ea careat: quàm non arbor bona sine fructibus uspiam reperitur. Quemadmodum hanc similitudinem passim scriptura reperit. Matth. 3, 8. & 10. cap. 7, 17. Ioh. 15, 2. Rom. 7, 4.*

27. *Hinc bona opera dicuntur fructus spiritus Gal. 5, 22. fructus pœnitentiæ, Matth. 3, 8. fructus justitiæ, Phil. 1, 11. fructus ejus, quæ è supernis est, sapientiæ, Iacob. 3. 17. fructus fidei, quippe quæ per charitatem est efficax, Gal. 5. 6. & ex operibus æstimatur, Iacob. 2, 17. & 18. haud aliter atque ex suis fructibus arbor cognoscitur.*

28. *Liquet ex similitudine ista, opera esse posteriora fide, tanquam fructus arbore: ac proinde opera non precedere justificandum, tanquam arborem: sed sequi justificatum, veluti fructus.*

Liquet